

sumus Thomam Waldensem, libr. 1 Doctrinal. fidei antiquæ, cap. 23 et sequentibus, præsertim in 25. Nam et tempore æqualis est Abulensi, et eruditione ac auctoritate, præsertim in confutandis hæreticis, non inferior. Non oportet autem verba ejus referre aut ponderare, quia et rem ex professo disputat, et acriter invehitur in quosdam Magistros, qui periculose, ut ipse ait, necessitatem antecedentem, ex efficacia divinæ voluntatis provenientem, in actibus voluntatis humanæ jam tunc introducere conabantur, et per hoc, ut ipse judicat, concordiam libertatis humanæ cum operatione divinæ gratiæ et voluntatis impossibilem reddebant. Et ideo quamvis, in libris de Auxiliis, hujus viri testimonio usus fuerim, nihil contra ab adversariis dictum vel objectum est.

## CAPUT XLV.

QUID D. THOMAS DE HAC CONTROVERSIA, SEU DE AUXILIO GRATIÆ EFFICACIS SENSERIT.

1. *D. Thomas non favet adversariis. — Advertendum.* — Præcipuum auctoritatis nomen quo defensores physicæ prædeterminationis nos premunt, et sub cujus umbra defendi student, est nomen et auctoritas divi Thomæ, et ideo nihil fere in hac materia docent, nec conclusionem ponunt, quam non dicant esse ex mente D. Thomæ, vel frequentius esse expressam D. Thomæ, ita ut, licet ipsi semper inter se contraria doceant, unusquisque intrepide affirmet suam sententiam esse expresse D. Thomæ. Nos vero credimus in hoc puncto a nobis stare D. Thomam, vel saltem non repugnare, et ideo, ad ejus sententiam accuratius indagandam, hunc locum et caput hoc integrum designavi. In quo prius proponam loca quæ pro contraria sententia afferri solent, deinde producam quæ nobis favere videntur, et utraque diligenter expendam ac explicabo. Adverto autem quatuor præcipua capita, seu ordines testimoniorum posse in doctrina D. Thomæ spectari; in primo sunt generalia in omnibus causis secundis, quatenus a concursu causæ primæ in agendo pendent, et de his dixi lib. 3, cap. 38. In secundo ordine sunt quæ de libertate voluntatis generatim loquuntur, quæ tractavi in eod. lib., cap. 44. In tertio gradu pono illa quæ sunt de modo quo Deus concurrat ad actiones peccaminosas, quatenus tales actiones reales sunt, et hæc attigi in eodem libro,

cap. 49. In quarto specialiter collocantur quæ de auxiliis, et motionibus gratiæ tractant. Et hæc sola ad præsentem locum pertinent.

2. *Proponuntur loca D. Thomæ, quæ pro contraria sententia afferri solent. — Objectio prima. — Solvitur.* — Primo ergo allegatur divus Thomas 1. 2, quæst. 9, artic. 6, quia in corpore affirmat Deum solum, et non agentia creata movere voluntatem; sed agentia creata, ut Angeli, possunt voluntatem moraliter movere; ergo Deus altiori modo, atque adeo physice potest movere et prædeterminare. Sed hæc objectio non magis procedit de actibus gratiæ quam de actibus ordinis naturalis, nam doctrina ibi data a D. Thoma generalis est. Illatio ergo dupliciter deficit. Primo, quia non loquitur ibi D. Thomas de præmotione voluntatis, sed de motione. Deus autem non solum movet voluntatem per auxilium præveniens, sed etiam per auxilium, seu concursum simultaneum, quem D. Thomas sæpe vocat motionem primi moventis, in eadem 1. 2, q. 109. Et ita nihil aliud est movere voluntatem, quam aliquid agere in ipsa, sicque D. Thomæ discursus eo tendit, ut probet ipsum motum voluntarium causari a Deo in voluntate. Concedimus ergo loqui de motione physica, negamus autem inde sequi loqui de motione prædeterminante. Secundo vero damus illam doctrinam esse veram, etiam de motione præveniente; in ea vero, ut supra attigi, duo oportet distinguere: unum est, quomodo fiat; aliud, quomodo causet liberum motum voluntatis. Ipsa ergo motio, cum sit aliquid reale inherens voluntati, scilicet aliquis motus deliberatus ejus, physice fit, et imprimatur a Deo, qui in hoc superat omne genus creatum. Illa autem motio causat consensum morali modo, et in hoc etiam est differentia inter Deum et Angelum, quia ipsamet causalitas moralis longe altiori modo est a Deo, et simile discrimen est ex parte intellectus, nam Angelus solum potest illum excitare, applicando objecta, vel phasmata; Deus autem per se, illuminando, et physice efficiendo in ipsum. Et ita in præmotione est physica efficientia Dei propria ejus sine physica prædeterminatione.

3. *Objectio secunda. — Removetur.* — Secundum argumentum sumi solet ex solutione ad 3 ejusdem articuli, ubi, cum dixisset Deum, ut universalem motorem, movere hominem ad bonum, ipsum autem hominem per rationem se determinare ad hoc vel illud determinate volendum, adjungit: *Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid*

*determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicitur.* Respondeo tamen aliud esse prædeterminare voluntatem quoad exercitium actus, aliud movere voluntatem ad aliquid determinate volendum. Nam a priori prædeterminatione non potest separari consensus, ex intrinseca vi talis determinationis; ab altera vero motione potest consensus separari, quantum est ex vi talis motionis. Unde per sufficientem gratiam prævenientem movetur, id est, allicitur et excitatur voluntas ad aliquid determinate volendum, scilicet ad fidem, vel penitentiam, etc., et nihilominus talis motio non prædeterminat voluntatem. Itaque illud adverbium *determinate*, quod D. Thomas adjunxit, non opponitur indifferentiæ, vel potestati resistendi, sed opponitur generalitati motionis. Dixerat enim ibi, quod Deus movet voluntatem, ut generalis motor, ad universale bonum; huic ergo universali motioni opponit determinatam motionem, quæ fit per gratiam; tamen sicut illa motio universalis non determinat physice voluntatem ad exercitium actus circa universale bonum, sed ad summum quoad specificationem, juxta doctrinam ejusdem D. Thomæ, ibi, quæst. 10, art. 2, ita etiam motio gratiæ ad aliquid determinate volendum, non determinat quoad exercitium actus, sed determinat ad certam speciem, licet non determinando absolute et simpliciter, etiam quoad specificationem, quia cum bonum sit particulare, potest voluntas aliud illi præferre pro suo arbitrio, in quo differt hæc motio ab alia, quæ est ad bonum in communi. Potest tamen illa motio dici determinare ad certam speciem actus, quantum est de se; nam si ex tali motione voluntas deliberate operetur illi consentiendo, efficiet honestum actum in tali vel tali specie, et non alium. Unde potest hæc motio esse, vel ex parte objecti, illuminando intellectum circa tale bonum, vel ex parte voluntatis, simplicem aliquem affectum vel suavitatem circa illud præbendo, manente semper indifferentia voluntatis ad talem motionem sequendam; sicut etiam habitus inclinatur ad aliquid determinate volendum, relinquendo indifferentem voluntatem, ut illam inclinationem sequatur, vel ei resistat.

4. Et juxta doctrinam, ad intelligenda alia loca D. Thomæ, oportet distinguere verbum *determinandi*; nam intelligi potest, vel de determinatione quoad exercitium actus, et in hoc sensu nunquam invenietur apud D. Tho-

mam, voluntatem in hac vita prædeterminari ab aliquo exteriori movente. Alio modo significare potest verbum illud determinationem quoad speciem actus, vel necessitando quoad specificationem, ut respectu boni in communi, vel inclinando tantum, quantum est de se. Et hoc modo dicitur interdum voluntas determinari ab habitu, vel a passione, vel ab objecto, et proprius dicitur moveri ad aliquid determinate volendum, ut D. Thomas in illa solut. ad 3, locutus est. Aliquando vero ita loquitur D. Thomas; nam 1 contr. gent., c. 82, ad 4, dicit: *Bonum apprehensum voluntatem determinare ut objectum proprium.* Ubi Ferrariens. notat, *determinare* illo modo, nihil aliud esse quam dare speciem actui, et ibidem distinguit duplex determinans, unum efficiens, aliud specificans, et hoc posteriori modo dicit ibidem, voluntatem divinam determinari ab intellectu, cum tamen certum sit non determinari quoad exercitium actus, nisi ad dilectionem sui, ad alia vero solum objective, ut voluntas possit ad hoc vel illud suum actum terminare. Et in eadem significatione D. Thomas, quæst. 6 de Malo, articulo unico, distinguit exercitium actus a determinatione, et exercitium dicit esse a voluntate movente seipsam, determinationem vero esse ab objecto. Sic ergo in citato loco dicit Deum per gratiam movere ad aliquid determinate volendum, quia movet ad particularia objecta, quæ non possunt nisi per determinatos et particulares actus amari.

5. *Objectio tertia. — Evertitur.* — Tertio, objiciunt totam quæstionem 109 D. Thomæ, in 1. 2, in qua sæpe D. Thomas dicit indigere hominem, ad opera gratiæ, auxilio Dei moventis. Sed illa loca non pertinent ad auxilium prævium, seu præveniens, sed ad concursum simultaneum, seu auxilium concomitans, quod cum proportionem generale est omnibus rebus, ut in lib. 1 et 3 ostendi sæpius. Et ideo hanc objectionem omitto, solumque adverto, ubi D. Thomas, in illa quæstione, postulat auxilium gratiæ prævenientis, præter rationem illam primi moventis, explicare illud per verba pertinentia ad excitantem gratiam, et moralem inductionem, et directionem; sic enim dicit art. 9: *Necesse est nobis ut a Deo dirigamur, et protegatur, quia omnia novit, et omnia potest*, quæ verba sunt valde notanda, nam in eis P. Sanctus explicat gubernationem internam prævenientis gratiæ morali modo, et illius certum et infallibile regimen non tribuit soli omnipotentiae, sed ad-

jungendo omnem scientiam, sub qua necesse est conditionatam etiam comprehendere; nam debet esse talis, quæ sit prævia, et dirigat (nostro modo loquendi) omnipotentiam, et voluntatem, ut certa et infallibilia media eligat et exequatur; scientia autem sic prævia non potest esse de futuro effectu libero, nisi conditionata, ut in proleg. 2 dictum est. Et eodem modo loquitur D. Thomas in 2, d. 28, q. 1, ad 3, et 3 contr. gent., cap. 147 et 148, ubi solum docet auxilium gratiæ esse necessarium, et non tollere libertatem. Unde immerito hæc loca contra nos allegantur.

6. *Objectio quarta.* — Quarto, objiciunt eundem Doctorem Sanctum in 1. 2, q. 111, art. 2, dicentem ad interiorem actum voluntatis dari auxilium gratiæ operantis, et reddidit hanc rationem: *Quia, quantum ad istum actum, voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens, et præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat.* Dixerat autem supra, in eodem articulo: *In illo effectu, in quo mens nostra est mota, et non movens, solum Deum esse moventem, quia operatio alicujus effectus moventi tribuitur, et non mobili.* Ergo sentit D. Thomas pium voluntatis actum, præsertim in primo consensu fidei vel conversionis in Deum, præcedere ex motione Dei, cui soli sit tribuendus sub aliqua ratione; at hoc esse non potest, nisi per physicam prædeterminationem: ergo.

7. *Respondetur objectioni ex eodem D. Thoma.* — Respondeo, concessa tota majori propositione, negando minorem; loquitur enim ibi D. Thomas de actu interiori voluntatis, qui est intentio, vel simplex consensus in aliquod supernaturale bonum propositum ut propter se amandum, propter honestatem suam, ita ut talis actus eliciatur non per modum electionis, sed per modum intentionis, aut voluntatis primæ. De quo motu D. Thomas generaliter docet non homini, sed auctori naturæ esse tribuendum, ut supra, lib. 3, c. 44, tractavimus; ubi id explicuimus intelligendum esse non secundum physicam efficientiam, sed secundum moralem quamdam attributionem, secundum quam dicitur voluntas se movere, cum ex intentione medio consilio ad electionem progreditur, non vero in ipsa intentione finis. Illam ergo doctrinam accommodat ibi D. Thomas ad voluntatem in ordine operantem, nam in prima intentione seu voluntate dicit moveri ab auctore gratiæ per gratiam operantem, quia nondum operatur ex electione, postea vero in electionibus etiam

gratuitis jam se movere per gratiam cooperantem. Ergo ad illum modum loquendi de gratia operante (sive alias verus sit, sive non, de quo, in eodem lib. 3, cap. 21 diximus) non est necessaria prædeterminatio physica, sed sufficit specialis motio accommodata, ut voluntas possit intendere tale bonum, vel aliquo modo propter se ac simpliciter in illud tendere, si velit, etiamsi ad illud non prædeterminetur. Nam licet propter illam motionem talis actus voluntatis morali et speciali modo tribuatur Deo, non excluditur quin a voluntate, et libere et efficienter, ac proinde tam moraliter quam physice fiat; ut ibidem ad 2 D. Thomas fatetur. Et ideo in illo determinatio quoad exercitium ab ipsa pendet, etiamsi per gratiam operantem præmoveatur.

8. *Confirmatur ex eodem.* — *Probatur consequentia.* — Et potest hoc confirmari ex eod. D. Thoma, Quodlibet. 7, art. 1, ubi cum in corpore eandem doctrinam tradidisset, et in argumento secundo objecisset quod talis modus motionis repugnat libertati, respondet ad 2, quod *Deus movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate.* Explicans autem quid sit in rationali natura moveri secundum modum suum, adjungit: *Et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere, et sic ex Deo est, quod homo se ad gratiam præparet; sed quod careat gratia, non habet causam a Deo, sed ab ipso homine.* Ergo illam motio gratiæ operantis talis est, ut possit homo ei resistere, quod repugnat auxilio physice prædeterminanti. Et ita ex his simul sumptis oppositum aperte probatur, præterquam quod saltem in electionibus gratiæ apertissime in utroque loco dicit D. Thomas voluntatem non prædeterminari a Deo, sed ipsam se movere et determinare, licet præmota per intentionem finis; certum est autem actus supernaturalium electionum esse ex auxilio efficaci gratiæ; ergo de ratione efficaciis auxilii non est, quod prædeterminet, alias semper et in omnibus actibus eam rationem servaret; ergo nec voluntate simplici, seu intentione finis est necessarium tale auxilium prædeterminans. Probatur consequentia, tum quia efficacia auxilii ejusdem rationis quoad hoc est in omnibus actibus; tum quia rationes sumptæ ex libertate et sufficientia auxilii æque in illis actibus procedunt; tum denique quia isti actus solum differunt ab electione, quod voluntas tunc non movetur medio con-

silio, ex prævio actu proprio, sed ex vi objecti apprehensi per cogitationem ab alio immisam. Hæc autem differentia salvatur optime sine prædeterminatione physica, et ad summum declarat gratiam excitantem aliter esse necessariam in intentione finis, quam in electione mediorum; quia ante intentionem est voluntas quasi dormiens, et ideo debet ab alio incipere excitari; postquam vero jam excitata est, et intentionem libere elicit, per illam potest excitare intellectum ad consultandum, et ita se ad electionem mediorum movere.

9. *Objectio quinta.* — Quinto, objiciunt quod D. Thomas 1. 2, quæst. 112, art. 3, dicit: *Si ex intentione Dei moventis est quod homo gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.* In quibus verbis sine dubio loquitur D. Thomas de motione per auxilium efficacem, cum dicat infallibiliter consequi effectum. Deinde clare supponit tale auxilium dari ex intentione absoluta, et prædestinativa Dei, alias non recte inferret ad illam intentionem infallibiliter consequi effectum, quia intentio Dei solum antecedens, seu conditionata, sæpe frustratur effectui, permittente ipsomet Deo. Unde tandem colligitur auxilium, quæ ex vi illius intentionis datur, esse prædeterminationem, quia procedit ex quadam voluntate, cui nemo potest resistere.

10. *Respondetur primo ex eodem D. Thoma.* — Ad hoc argumentum, responderi potest D. Thomam quidem loqui de absoluta intentione ex parte sua, non ex parte objecti, id est, non de intentione dandi gratiam sanctificantem, de qua in titulo articuli loquitur, nec de intentione dandi præparationem illam, quæ est per conversionem perfectam ad Deum, sed de intentione dandi gratiam sanctificantem, illis qui se ad illam præparaverint. Hanc enim necessariam consecutionem inter præparationem et gratiam vult ibi probare D. Thomas, ut patet ex titulo articuli, et ex conclusione qua ad illum respondet; et illam necessariam consecutionem gratiæ probat, ex eo quod est ab intentione absoluta Dei, nam ad hoc vocat hominem ad penitentiam, ut, si per eum non steterit, sed actu se convertat ac præparet, infallibiliter gratiam consequatur; potestque responsio confirmari ex eodem in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 2, quæstiuncula 3, ubi eandem tractans quæstionem, in hoc sensu illam definit, unde verisimile fit in eodem sensu fuisse locutum in alio loco.

11. *Respondetur secundo.* — Secundo vero concedimus priorem sensum esse etiam ibi a

D. Thoma intentum, quia, licet supponat legem dandi gratiam se præparanti sufficienter, quæ, sicut generalis est et infallibilis, ita fundamentum habet in absoluta intentione et promissione Dei, absoluta (inquam), respectu consecutionis, nihilominus non de illa tantum loquitur, sed de illa infert quod, si de intentione Dei est justificare hominem, cujus cor movet, ita movebit illum, ut infallibiliter illam consequatur, et consequenter ut infallibiliter convertatur. Et hoc etiam probat locus Joan. 6, quem adducit. Hoc ergo sensu supposito, concedimus duo prima, quæ inde inferuntur, scilicet D. Thomam loqui de motione per auxilium efficacem, et de intentione absoluta sanctificandi vel convertendi hominem, quem vocat. Negamus tamen tertiam illationem, nimirum auxilium, quod ex vi illius intentionis datur, esse physice prædeterminans, quia sufficit vocatio congrua, ut illa intentio infallibiliter impleatur. Quod probamus primo ex verbis ejus; prius enim dixerat ibi intervenire necessitatem non coactionis, sed infallibilitatis, ubi, ut divisio sit adæquata, includit omnem necessitatem antecedentem, et repugnantem libertati, quam prædeterminatio physica induceret, et postea repetit verbum *infallibiliter*, quod dicit ordinem non ad causam, sed ad præscientiam. Secundo, est hic sensus non solum verus, sed etiam necessarius, quia intentio illa includit, in objecto, quod homo sanctificetur libere, et ideo postulat motionem, cui et homo possit resistere, ut præparatio ad gratiam sit libera, et infallibiliter non resistat, ut sit efficax motio. Hæc autem duo in physica prædeterminatione non conjunguntur, cum vocatione autem congrua optime conveniunt; ergo non est cur limitemus indefinitam doctrinam divi Thomæ ad motionem prædeterminantem, cum qua cætera repugnant; veritatem ergo habet propter congruam vocationem. Nec adversarii habent quomodo hanc responsionem inficiantur, nisi divertendo ad impugnantem scientiam mediam, quæ et per se satis defenditur, et in proleg. 2 satis, ut credimus, non solum eam defendimus, sed etiam persuasimus.

12. Ex hac doctrina facile respondetur ad alia testimonia D. Thomæ in quibus docet homines salvari, credere, amare, aut mereri, juxta mensuram voluntate Dei præscriptam, ut ex p. 1, q. 19 et 23, et 2. 2, q. 24, a. 3, et 3 contr. gent., c. 89 et 90, et aliis locis constat. Nam hæc omnia per vocationem congruam

executioni mandantur, et optime intelliguntur modo proxime explicato, et aliquid de re ipsa in sequentibus addemus, ut omnibus satisfaciamus. Nunc vero sensus hic confirmari potest ex eodem D. Thoma, quæst. 6 de Verit., art. 3, ubi, licet doceat prædestinationem habere certitudinem in ratione causæ, nihilominus, in corpore et ad 3, declarat non mandari executioni per media, quæ ex se sint infallibilia ex vi suæ causalitatis, sed ex modo quo a Deo applicantur: *Nam liberum (inquit) arbitrium deficere potest a salute; tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat.* At profecto si certitudo mediæ consisteret in auxiliis prædeterminantibus, multo brevius expedit D. Thomas difficultatem, ad illa et ad omnipotentiam et efficaciam divinæ voluntatis recurrendo, quod nunquam facit, quoties in particularibus mediis ordinem executionis declarat.

13. Nec potest ob stare alter locus in q. 6 de Malo, art. unic., ad 3, ubi differentiam constituit inter hominem et bruta, quod bruta determinate moventur ad unum per instinctum: *Sed Deus (inquit) movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet, non inducitur necessitas, sed manet libertas.* Ubi illa verba immutabiliter, et per efficaciam, statim explicat per verbum *infallibiliter*, dicens: *Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur.* Unde illa immutabilitas magis ex parte Dei quam ex parte hominis intelligenda est; Deus enim ita movet prædestinatum modo libero et contingenti (ut in utroque loco D. Thomas dicit), ut nihilominus prædestinatio Dei immutabilis sit. Hoc autem provenit ex efficacia voluntatis suæ, quæ non consistit in hoc, ut per physicam prædeterminationem ad liberum actum moveat, hoc enim repugnat, sed in hoc quod tot potest adminicula adhibere, prout videt esse congrua prædestinato, ut infallibiliter obtineat quod intendit.

14. Atque hæc tantum invenire potui in doctrina D. Thomæ, vel ab aliis allegata, vel ex parte aliqua a me observata, quæ colore aliquo possint in hoc puncto adduci. Existimo tamen illa sola sufficere ad ostendendum D. Thomam nec agnovisse, neque fortasse cogitasse de aliquo auxilio gratiæ physice prædeterminante; tum quia, si rem tanti momenti ex illo auxilio pendere existimasset,

debuisset profecto aliquam disputationem de illo texere, illius naturam et vim, et concordiam ejus cum usu libertatis clare et loculenter explicare; hoc autem nunquam fecit, ut visum est; ergo magnum argumentum est illud non agnovisse; tum etiam quia in eisdem locis, vel similibus, quæ pro illa sententia adducuntur, multa dicit quæ cum tali modo auxilii non recte subsistunt, ut obiter explicavimus.

15. *Notandum.*—*Alterum notandum.*—*Omne auxilium præveniens voluntatem, si a voluntate removeri, seu illi resisti nequit, ex necessitate libertati contraria movet.*—Præsertimque notanda sunt duo: unum est, quoties D. Thomas dicit Deum movere voluntatem secundum modum suum, explicare modum illum, ut sit modus indifferentiæ et indeterminationis ad opposita. Juxta quam interpretationem, illa duo, scilicet, movere voluntatem secundum modum suum, et prædeterminare illam, repugnantiam involvunt, secundum doctrinam D. Thomæ, quam expresse tradit in dicto quodlibet. 1, art. 7, ad 2, et dicta quæst. 6 de Malo, artic. unic., et satis indicat 1 part., quæst. 83, art. 1, ad 3 et 4, et præsertim ad 5, circa finem. Alterum notandum est, non aliter explicare D. Thomam cur Deus, præmovendo voluntatem, illam non necessitet, nisi quia ita movet ut voluntas possit moti resistere, ut expresse dicit in dicto quodlibet., ad 2. Et idem sumitur ex dicto art. unic., quæst. 6 de Malo, ad 15, ubi ait: *Quod licet Deus faciat voluntatem velle, non oportet quod ea necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari.* Hoc autem quomodo fieri possit a voluntate, explicat D. Thomas dum addit: *Vel removendo cogitationem, quæ inducit ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet, illud, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non esse bonum.* In quo aperte supponit, ut voluntas non inducatur ex necessitate per motionem præviam gratiæ, oportere ut possit illam impedire, vel removendo illam, vel alio simili modo. Et aperte loquitur de potestate voluntatis in sensu composito, nam remove cogitationem supponit cogitationem, ut per se patet. Cumque doctrina illa formalis sit, et generalis, habet locum in omni prævia motione. Unde ex doctrina D. Thomæ omne auxilium prævium præveniens voluntatem, si a voluntate removeri, seu illi resisti non potest, ex necessitate libertati contraria movet. Et ideo in eodem articulo ait D. Thomas, quod, si dispositio, per quam aliquid videtur alicui bonum, non sub-

jacet voluntati, ex necessitate voluntas movetur.

16. Est præterea optimus locus hanc D. Thomæ mentem ostendens in 1 part., quæst. 62, art. 3, ad 2, ubi sic ait: *Inclinatio gratiæ non inducit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti, et peccare; fateor quidem verba illa scripta esse de gratia habituali, nam de illa tractatur in articulo et in argumento; nihilominus nos non consideramus materialiter, ut sic dicam, illa verba, sed formalem rationem eorum; nam ratio ob quam gratia non inducit necessitatem, ideo est, quia potestati habentis subditur, ut illa utatur vel non utatur. Ergo si aliqua est gratia quæ ita inclinat mentem hominis, ut non sit in potestate voluntatis ea uti, vel non uti, sed, illa posita, necessitetur ad usum ejus, talis inclinatio gratiæ inducit necessitatem, ex mente D. Thomæ.* Et ideo in principio solutionis universalem profert sententiam: *Omnia forma inclinat suum subjectum secundum modum naturæ ejus, quod intelligitur non solum de forma per modum habitus, sed etiam per modum motionis actualis, quæ, ut recipitur in mobili, forma ejus est.* Et ita etiam de actuali habet eandem propositionem D. Thomas in locis supra citatis, et quæst. 3 de Malo, art. 2. Quid autem sit formam recipi secundum modum subjecti? Respectu rationalis naturæ, non est nisi quod in usu et effectu ejus libertati subdatur, ut in aliis verbis allegatis D. Thomas declaravit, et in aliis locis notavimus.

17. Et hinc etiam fit, quod maxime intentionem nostram confirmat, ut quoties D. Thomas vult explicare quomodo gratia, non obstante libertate habentis, illum inducit ad bonum indeclinabiliter, et infallibiliter in officio continet, non id tribuit moti prædeterminanti, sed vel custodiæ divinæ, ejusque excitationi, ut quæst. 24 de Verit., art. 9, ubi de viatoribus, etiam virtute perfectis, ait ita inclinari ad bonum, ut difficile cadant; subdit autem: *Sed totum, quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam divinæ providentiæ in illis, ut, scilicet, quancumque occasio peccati se inserit, eorum mens divinitus excitetur ad resistendum.* Vel etiam vocationi hoc tribuit, ut in quæst. 6 de Verit., art. 1, ubi ex prædestinatione dicit sequi glorificationem, in qua est consecutio finis, et collationem auxilii ad consequendum finem (utique congruum et efficac), et illud declarans, addit, *quod est appositio gratiæ, quod ad vocationem pertinet.* In vocatione ergo constituit auxilium efficac,

quod prædestinato conferitur. Quod expresse dixit super Rom. 8, lib. 6, ubi ait prædestinatos trahi per vocationem internam, quæ (dicit) *nihil aliud est quam quidam mentis instinctus, quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum, in his quæ sunt fidei et virtutis.* Et addit: *Et hæc vocatio in prædestinatis est efficax, quia hujusmodi vocationi assentiunt.* Unde alibi hoc auxilium vocat *efficacem persuasionem per aspera, vel per levia, etc.*, ut quæst. 22 de Verit., art. 9, ad 8, ubi hoc modo exponit illud Luc. 14: *Compelle eos intrare; et similiter Joan. 6, exponens illud: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, dicit Patrem trahere, per illuminationem et inspirationem internam, per quam, ait, si quis non trahatur, non est defectus trahentis, qui quantum est ex se nulli deficit, sed est propter defectum ejus qui non trahitur.* Quod certe non habet locum, si prædeterminatio physica est necessaria, ut ostendimus. Ex his ergo omnibus concludimus D. Thomam de prædeterminatione physica nihil formaliter decrevisse, nec aliquid de motione voluntatis a Deo per auxilia tradidisse, quod sine tali prædeterminatione non optime subsistat; e contrario vero multa in ejus doctrina inveniri, de modo quo Deus movet voluntatem, sive per gratiam præviam, sive per alios modos providentiæ suæ, quæ partim eundem modum excitandi et trahendi homines, quem nos dicimus, præ se ferunt, partim aliqua continent, quæ physicam prædeterminationem non compatiuntur. Nam si attente considerentur quæ diximus, hæc omnia satis probata ex illis relinquuntur.

## CAPUT XLVI.

QUID ALII ANTIQUI SCHOLASTICI IN HAC CONTROVERSIA SENSERINT.

1. *Punctum capitis circa auxilium gratiæ efficacis.*—In libr. 3, tractando hoc punctum, de concursu prævio et præmotione primæ causæ in secundam, an necessaria sit ad omnes actiones causarum secundarum, præter concursum simultaneum, plures Scholasticos antiquos negantes talem præmotionem esse necessariam allegavimus, applicando illam doctrinam ad punctum de concursu Dei ad actiones peccatorum. Illos ergo omnes soleo in præsentis puncto pro nostra sententia allegare, quia cum potissimum fundamentum contrariæ sententiæ abnegent ac evertant, merito